


# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



ertum nunc praesidium.  
urbis percurrende,  
perarios, milites,  
is nititur perfugii.  
utius, fidentius,  
breviter victoriam,  
ntis tuae nos consilium.  
ntias libenter maximas,  
ederit Te, Pater, provi-  
[dum,  
Templi.

Et Romae decus.  
e perlustra et respice  
as dederis, fulcimina,  
s repelluntur hostium.

Io, Leoni! Pater aman-  
ONSTANS cum SOCIIS e  
idis oculis tortisque, ad-  
t que universum populum  
ur:

sum, gloriam, stultilo-  
[quens  
c qui dat fiduciam,  
tos ad caelos erigit!..  
dium voces illae mihi!  
omae damnum et exci-  
[dium!..

destruetur denuo,  
Scipionis opera  
flammis Carthago ruit.  
x complurium parvulus,  
bae fortes et innumerae;  
dat responsum proxime;  
rit vobis, videbitis!

*FORNARI, Sponsor.*  
*POLYGLOTTIS VATICANIS.*

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
*Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)*

...

**Sedes aliae: In Italia:** Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferaio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

**Apud Italicas colonias:** Bengasi - Tripoli.

**Apud exterbas gentes:** Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo sequitur:

**JOSEPHI FORNARI Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

**JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

**HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.


**I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,50.

**I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS Natalicia quae imminent festa et novum annum fausta et felicia ex animo ominamur. Propositi nostri summam in an. MCMXXII ad proximum numerum delegamus: hodie dicere fiat satis, nos in incoepio nostro mutata nunquam fide perstituros, premiumque subnotationis proximae idem relicturos quod hoc anno fuit, scilicet iuxta normam quae sequitur:

Pro Italia . . . . .	lib.	12 —
» Gallia, Helvetia, Bel- gica . . . . .	franc.	15 —
» Hispania . . . . .	peset.	15 —
» Graecia . . . . .	drachm.	15 —
» Batavia . . . . .	floren.	7,50
» Anglia . . . . .	shell.	12,50
» Civitatibus Foede- ratis Americae Sep- tentrioinalis et Ca- nada . . . . .	doll.	3 —

Pro ceteris nationibus erit summa *Gallicos francos* 15 exaequans. Qui autem per civitatis alias pecuniam mit-

tat premium, idem aequabit cum permutationis pretio, die transmissionis vigente. Denique qui acceptilationis testimonium velit pro eodem addat publici cursus premium.

Liceat denique eos rogare qui debitam labentis huius anni pecuniam nondum solverunt, ut eam statim mittant; secus cum novo anno Commentario privabuntur. Ad id enim impensarum urgens moles nos cogit!... A. R.



## DE IUDAЕIS

### NOVUM SIBI IMPERIUM AFFECTANTIBUS

#### II.

Civilis motus, ex quo nunc Iudei agitantur, hunc, diximus finem esse ii praedicant, dispersam Hebraeorum nationem in unum statum cum suis iuribus restituere, cuius caput Hierosolyma urbs, sive Sion, ut quondam fiat. Quod quidem consilium specie haud esse diversum appetet a pluribus aliis libertatis internationalisque iustitiae propositis, quae post Gallicarum rerum conversionem, prodierunt te-

ctaque sunt, atque etiam recens apud Nationum Societatem declarata. Hac, inquam luce *Sionismi* principes ipsum illustrant. Agitur - aiunt - de summa tandem iniuria, quae per saecula viginti perduravit: si populus erat qui iure natio considerari posset, sua lingua, suis moribus, sua historia, is Hebraeorum erat populus: ex adverso inter centum dispersus nationes vivit!

Neque iam inde a Hierosolymitanae civitatis excidio illo, quod Romanorum imperatore Tito anno post Christum natum LXX factum est, a suae instauracionis nisibus Iudaica natio abstinuit: pauca ex eo decennia exacta erant, quum cives ab

Hebraica gente orti, Bar-Cochebae ducti ingenti seditione exarserunt, quam ferro tantum et sanguine Romanae legiones non sine labore extinguere valuere. Huius rebellionis vim sibi quisque facile effinget si eam cum ultione quae subsequuta est comparaverit: uno enim verbo dici potest, non urbem tantum, sed Palaestinam omnem solo fuisse aequatas et in desertum adductas, ita ut historico cuidam narrare licaret, post annos aliquot, quum Romanus quidam in Aegypto a Iudeo quodam quaevisisset ubinam natus esset, hic autem respondisset Hierosolymae, Romanum dixisse hanc urbem sese omnino ignorare.

Quod si fatendum est ex eo tempore Iudaicam nationem prostratam fuisse, nec unquam in posterum sese attollere, atque in unum idemque validum corpus iterum constituere potuisse, non tamen Iudei animi sui vota attrivere; quinimo in illis singulari tenacia insistentes, occasionem nullam praeterierunt quominus ea patefacerent. Legas, exempli gratia, Iudaicos poetas qui medio, quod vocant, aevo sub Saracenorum dominatione floruerent: eorum carmina nihil aliud exprimunt quam patriae desiderium!... Quod quidem re consistere coepit saeculo XVIII exeunte: popularis imperii appetitio a Gallica seditione sancta, ac deinde per Europam omnem a

triumphantibus Napoleonicis armis diffusa, sionismi placitis philosophicum item ac civile fulcimen praebuit, variique Hebraicae stirpis manipuli, in primisque exitissimis Hebraeorum hominibus, constituti sunt, qui principia illa pro universo hominum genere edicta uni sibi addicere non dubitaverint. Verum stabilis structurae fundamentum rei positum est in primo *Sionistarum* conventu an. MDCCCXCVII habito: hinc sionistica actio, cui nummulariae Hebraeorum divites mensae amplissime subvenerunt, longe lateque est diffusa, per diaria praesertim et conventus, qui alter alterum sequuti sunt.

Principio tamen Sionistarum alacritati optati fructus non responderunt: si enim Iudeorum animos ad vetera desideria magis magisque inflammare actio illa valuit, in Russia maxime et in Germania hostilem reactionem, eamque gravem, manifeste genuit. Quam ut interrumperet, quin etiam ad rerum faciem vertendam accederet, novus, nec Hebraeorum hostibus opinatus eventus intercessit; recens, dicimus, bellum, aut melius rerum hic status a bello genitus. In hac scilicet restitutionis, universique prope dicam novi sepimenti febri, quaestio etiam sionistica audacter posita est, faventibusque trapezitis potentissimis pluribusque guberniorum ex Hebraica gente praesidibus, brevi maiores fecit progressus quam ut per saecula plura, quamque ut specie vulgo appareat. Nonne enim nostris diebus etiam videmus Angliam ei studiose obsecundare, palam in Palaestina prae Mahometanis ipsisque Christianis Hebraeorum negotia tuendo? Et ipsa Nationum Societas insigne suum fecit ex coloribus Sionisticae civitatis, albo scilicet et caeruleo; quod quidem fortuito accidisse videatur, addo et risum alicui movere posse; haud vero tam facile illi, qui ea quae alias prolaturi erimus attente perpenderit.

\*\*

## DE PLENITUDINE GRATIAE IN CHRISTO NATO

Imminent festa, quibus Ecclesia incarnati Verbi mysterium recolit, illumque in praesepio adorat Puerum, de quo S. Ioannes testatur: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi *Unigeniti* a Patre, *plenum gratiae* et veritatis ». <sup>1</sup> Pauca de illa plenitudine delibare liceat, sicut alias, in hac ALMA ROMA, de Christi nati scientia breviter disseruimus. <sup>2</sup>

Scriptura Christo adscribit gratiae plenitudinem tamquam hypostaticae unionis corollarium: eo quod nempe sit *Unigenitus*, idcirco est gratiae *plenus*; et, quia unio est summa, gratia quoque summa esse debet. Unio porro fuit a primo instanti perfecta, nec ullatenus potest intendi aut dissolvi. Hinc colligitur gratiam, a primo Incarnationis momento, fuisse omnino plenam, quae nec augeri valeat unquam, nec exhaustiri, nec minui, nec amitti.

Christum igitur recens natum, infans, pannis involutum, eodem pacto et iure internae gratiae plenum colimus, ac in monte docentem, aut in die Transfigurationis fulgentem, tametsi externos effectus paullatim coram hominibus manifestaverit.

Quam plenitudinem SS. Patres maxime extollunt: « *Omnis gratia effusa est in illud templum. Non dat enim ille Spiritum in mensura: nos enim de eius plenitudine accepimus; illud autem templum integrum et universam accepit gratiam...* » In illo quidem est *integra et universa gratia*; in hominibus parum quid et gutta ex illa gratia ». <sup>3</sup>

<sup>1</sup> IOAN., I, 14.

<sup>2</sup> Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXVIII et mens. Ianuarii MCMXIX.

<sup>3</sup> S. CHRYSOST., In Ps. XLIV, 2; P. G., LV, 186.

Quocirca omnes effectus supernaturales qui in Ecclesia fiunt, gratia scilicet sanctificans, virtutesque et dona, gratiaeve gratis datae, illuminationes et inspirations, omniaque heroica facta, quae mundum interdum evehunt superius, de copia gratiae Christi derivantur, quasi dicas: De plenitudine eius *nos omnes omnia accepimus*, qui est per hypostaticam unionem *maxime propinquus fonti*, et idcirco maxime repletus, ut uberrime possit abundantiam fontis in alios diffundere, quin unquam deficiat.

\*\*

Verum animadvertisatur gratiae plenitudinem tribui B. Virgini: « Ave, *gratia plena* »; <sup>1</sup> imo et quibusdam sanctis v. g. Stephano: « Stephanus autem, *plenus gratia et fortitudine*, faciebat prodigia et signa in populo »; <sup>2</sup> et Barnabae: « Erat vir bonus et *plenus* Spiritu Sancto et fide ». <sup>3</sup> Hinc intelligitur multiplicem vigere plenitudinem, sicut et alia est copia abyssi, aliaque aquaeductus et alia rivuli. Plenitudo insuper tribuitur Christo quatenus est *Unigenitus* a Patre, quod quidem est ipsi soli proprium, et eapropter maior esse nequit; sicut nec concipitur coniunctio cum Deo arctior illa unione qua Christi anima Verbo copulatur, ut scilicet in ipsa divini Verbi persona subsistat. <sup>4</sup>

Quo liquidius autem doctrina illa innotescat, recolatur triplicem distingui posse plenitudinem, videlicet et *sufficientiae*, et *redundantiae* atque *excellentiae*. <sup>5</sup>

Plenitudo quidem *sufficientiae* est illa gratiae copia, cuius vi possint omnes sancti

<sup>1</sup> Luc., I, 28.

<sup>2</sup> Act., VI, 8.

<sup>3</sup> Act., XI, 24.

<sup>4</sup> Hinc effatum D. Thomae: « Quanto enim aliud receptivum est propinquius cause influenti, tanto magis participat de influentia ipsius » (III, P., q. VII, a. 1).

<sup>5</sup> Cfr. S. THOM., Comment. in Ioan., cap. I, lect. X.

bonum operari et finem adipisci. In triplici gradu confertur. Primo quippe, iusti omnes gratiam ita locupletem suscipiunt, ut possint peccatum vitare et mandata custodire.

At non omnes iusti reapse perseverant. Unde, secundo, datur illa gratiae abundantia, qua revera usque in finem perducantur et gloriam consequantur; et haec est electis, omnibus quidem sed solis, concessa. Tertio, viget plenitudo peculiaris aliquibus sanctis in officio superiori constitutis, vel ad altiora vocatis et enectis.

Quapropter, sicut in via, ita et in patria, sunt quaedam omnibus sanctis communia: in caelis, *visio* quae respondet *fidei* in via, et intellectum quietat; *comprehensio*, quae respondet *insectationi* in via et est *spei* praemium; ac *fruitio*, quae respondet *dederio* in via et *caritatem complet*.

Plenitudo autem redundantiae censemur illa quae valet gratiam in alios diffundere. Haec competit Christo, qui est omnium caput. Munus quidem capitatis evidentiam quamdam arguit et manifeste se prodit, nam oportet caput respectu membrorum externe eminere; munus vero cordis vim occultam innuit. Hinc officium capitatis reservatur Christo, qui naturam habet conspicuam et nostrae consimilem; munus autem cordis attribuitur Spiritui Sancto, qui secreto in Ecclesia operatur.

Et haec est doctrina, quam pulcherrime exprimit doctor Angelicus: « Caput habet manifestam eminentiam respectu ceterorum exteriorum membrorum; sed cor habet influentiam occultam. Et ideo *cordi* comparatur *Spiritus Sanctus*, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit; *capiti* autem comparatur ipse *Christus* secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus praefertur ».<sup>1</sup>

Christus igitur, utpote caput, influit in omnia Ecclesiae membra et vitam et mo-

tum, et hac ratione plenitudinem redundantiae sibi vindicat.

Nec etiam B. Virginis Mariae deest simile munus. Ipsa quippe, teste Pio X, a Christo adscita in humanae salutis opus, *de congruo*, ut aiunt, *promeret nobis quae Christus de condigno*,<sup>1</sup> et nunc in caelis mediatione universalis, ut secundaria, gratias omnes impetrat, quas mediatione primaria obtinet Christus.

Quocirca B. Virgo merito dicitur *plena sibi, superplena nobis*.<sup>2</sup>

Denique plenitudo *excellentiae* in eo reponitur quod possit quis gratiam directe largiri, vel signis sensibilibus alligare, et condere sacramenta, quae in eius nomine tradantur, etc. Quae tanta copia soli Christo competit; nec enim B. Virgo instituit aut instituere potuit signa quae gratiam contineant et conferant, nec in eius nomine ministrantur sacri ritus.

\*\*

Remanet itaque ut plenitudo sanctorum sit plenitudo *rivulorum*, qui abundantiam a fonte accipiunt, quique sunt aliis alii profundiores sed semper limitati; plenitudo autem B. Virginis sit largitas *fluvii* vel *acquaeductus* redundantis et transmittentis ipsam fontis ubertatem; denique plenitudo Christi sit *fontis* et *abyssi* copia, ex qua alia quaecumque derivatur.

In Christo porro gratia unionis est illa mirabilis unctio, quae totam humanitatem assumptam consecrat, divinitatis unguento condit, illamque speciosissimam ac sanctissimam efficit; ita quidem, ut dum alii sancti dicuntur *opus sanctitatis*, Christus sit *Sanctitas ipsa*.

<sup>1</sup> Pius X, encyclic. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904.

<sup>2</sup> S. Rituum Congregatio, die 21 Ianuarii 1921, concessit Belgii dioecesibus officium eum Missa *de Festo Beatae Mariae Virginis Mediatricis omnium Gratiarum*.


<sup>1</sup> S. THOM., III. P., q. VII, a. 1, ad 3.

Hisce ergo diebus, ad Puerum Iesum accedatur, in quo iam sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae et gratiae absconditi.

Ex qua meditatione resultabunt illuminationis et inspirationis motus, ut *conformes* efficiamur *imaginis Filii Dei*, qui est omnium praedestinatorum exemplar et imago.<sup>1</sup>

EDUARDUS HUGON, O. P.

<sup>1</sup> Qui plura cupiat, opus nostrum consulat *De Verbo Incarnato et hominum redemptore ac de Beata Virgine Maria Deipara*, 1 vol. in-8, 512, Paris, Leathieieux, 1921.



## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

### Imbres.

Umor, quem Vergilius respicit (*Ecl.* III, 82): *dulce satis umor*, de rigatione agrorum intelligendus est, quum paulo ante de imbre dixerit (*Ibid.* 80): *Triste maturis frugibus imbres*. Etenim nunquam in similitudinibus nostris lenis pluvii mentio fit, quae etiam extra exempla nusquam invenitur. Ne Tibullus quidem, qui est plurimus in gaudiis rusticis pingendis, eum cognosse videtur (*I*, 47), ubi commemorat quam dulce sit, imbre cadente consopiri. Quod « gelidas » seorsim primo loco collocavit, monstrat non tam imbre eum iuvasse, quam sub tecto esse, quum imber gelidus cadat. Licet affirmare pluvii nunquam in similitudinibus nostris mentionem esse quo apud nos ver agros recreare solet; nam « bullae » quarum mentio fit (OVIDIUS, *Met.* X, 733: *Intumuit sic ut pluvio perlucida caelo surgere*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*bulla solet*), in aquarum aequore surgere solent ubi lente magnae guttae cadunt, signa tempestatis oriéntis.

Ipsam tempestatem habes (II, 384): ὡς δ' ὑπὸ λαῖλαται πᾶσα κελανὴ βέριθε χθὼν ἥματ' ὄπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὑδωρ Ζεύς...

τῶν δέ τε πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ρέοντες, πολλὰς δὲ κλιτύς τότε ἀπομήγουσι χαράδραι,

VERG. in *Geor.* (IV, 312):

*Donec ut aestivis effusus nubibus imber erupere.*

AEN. (V, 317):

*Corripunt spatia audito timenque relinquunt effusi nimbo similes.*

Ibid. (IX, 668):

*Quantus ab occasu veniens pluvialibus haedis verberat imber humum, quam multi grandine nimbi in vada praeципitant, cum Iuppiter horridus austris torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.*

Ibid. (X, 803):

*Ac velut effusa si quando grandine nimbi praecipitant, omnis campis diffugit arator, omnis et agricola, et tutu latet arce vrator, aut annis ripis aut alti fornice saxi, dum pluit in terris, ut possint sole reducto exercere diem.*

OVIDIUS (*ex Ponto*, IV, 1. 2):

*Nulla dies adeo est australibus humida nimbis non intermissis ut fluat imber aquis.*

### Grando. Nix. Glacies.

Ut grando resilire solet a culminibus tecti, ita Sarissam a facie Caenei resilientem facit OVIDIUS (*Met.* XII, 480).

Idem unus poëtarum est, apud quem in comparatione inveni imbre frigoribus concrecentem (*Met.* IX, 220):

*Ulque ferunt imbres gelidis concrescere ventis, inde nives fieri, nivibus quoque molle rotatis adstringi et spissa glomerari grandine corpus;*

cum qua similitude Washietlius comparat LUCR. (VI, 527):

*Cetera quae cursu crescent cursuque creatur et quae concrecent in nubibus, omnia, prorsum omnia, nix, venti, grando gelidaeque pruinæ et vis magna geli, magnum duramen aquarum et mora, quae fluvios passim refrenat euntis.*

At si addidit: « Vides iam manifestam inter utrumque locum intercedere similitudinem », equidem non video, nisi forte ea manifesta similitudo habenda sit, quatuor voces: « concrescere. — gelidus — nix — ventus » apud utrumque extare. Maxime autem Washietlius urget « ferunt » illud ab Ovidio positum. « Significat enim » inquit « falso hoc verbo, si quid video, non vulgi opinionem, sed hominum doctorum sententias ». In quo plane cum eo mihi consentiendum est, quum vulgus de eius modi rebus aliquid sentire vix soleat.

A. AURELI.



## AESTHETICAE NOTAE

### De pulchri proprietatibus.

Pulchrum re exsistere alias vidimus; <sup>1</sup> viget ipsum in universis rebus organicis et inorganicis, in viventibus corruptibilis item atque incorruptibilis, vario ordine diversaque mensura. Inest crystallicis, smaragdis et sapphiris, inest argento et auro, inest fontibus et nemorum opacitatibus; inest avibus aliorumque animantium innumeris familiis atque speciebus. Formosior tamen cunctis visilibus est homo, in quo veluti in summa pulchritudo maxima resulget. Quae vero et quanta est pulchritudo in obiectis supra ordinem sensibilium positis? in rebus ad scientiam pertinentibus et bene gestis? in substantiis omnino spiritualibus; in summo optimoque Deo? Sponte igitur ratio expostulat, ut, post realem pulchri exsistentiam, de pulchri proprietatibus argumentum agitamus.

Atqui praecipuae pulchri proprietates apparent *necessitas*, *immutabilitas*, *universalitas*. Verum bene intelligendae eae sunt, ita ut brevi indigeant declaratione.

<sup>1</sup> Cfr. huius anni, pag. 58, 101, 120.

\* \* \*

Necessarium id est, sine quo res esse nequit. Necessitas tum *essentiam* respicit, tum *existentiam*. Quod ad exsistentiam est, ens necessarium est id, cuius non realitas intimam involvit repugnantiam, ideoque est ens *a se*, *improductum*, *absolutum*. Quod autem ad essentiam refertur, necessarium est id quod repugnat iis principiis destitui, ex quibus constituitur: ita ex. gr. necesse est hominem esse animal rationale, quamvis tamen exsistentiam contingentem habeat.

Immutabile definitur: id, quod ab altero ad alterum sese habendi modum transire nequit, sive id essentiam tantum, sive etiam exsistentiam respiciat.

Universale autem est unum pluribus commune et *metaphysice* acceptum; est quaeviis natura, quae, licet *physice* individualitate contracta sit, a nobis tamen simpliciter ut quaedam essentia non determinata merito concipitur, id est sine conditionibus eam *actualiter* determinantibus.

Caute vero animadvertisendum est, hic non agi de necessitate, immutabilitate et universalitate pulchri subiectivi. Etenim pulchrum subiectivum, prout affectio quaedam est hominis contemplantis, in physica sua natura *contingens* est, mutabile secundum inumeras subiecti variationes, et singulare.

Nec agitur de pulchro obiectivo comparate ad exsistentiam, quae contingens esse potest, mutabilis, singularis, circumscripta quantitate, tempore, loco, etc. Pulchrum hoc sensu acceptum, seu in rebus creatis, est semper contingens, mutabile, singulare. Deus unus ens est necessarium, universale tum circa essentiam, tum circa exsistentiam.

Agitur quidem de pulchro obiectivo comparate ad suam intimam naturam seu essentiam, sive *metaphysice*, sive *physico-hypothetice* inspectam.

\* \* \*

Hisce praestitutis, perspicuum est pulchrum gaudere necessitate, immutabilitate et universalitate. Pulchrum enim est quaedam natura seu essentia; atqui essentia quaeviis necessaria, immutabilis atque universalis merito dicitur. Re quidem vera, pulchrum in natura sua quibusdam principiis constituitur, unde necesse omnino est iisdem non destituatur. Istiusmodi est necessitas, qua triangulus non potest tribus angulis carere, quin natura et ipse trianguli conceptus evanescat. Ita impossibile est pulchrum necessario iisdem principiis, seu elementis, non constare, ex quibus resultat. Hoc enim esset idem affirmare et negare secundum idem.

Simili modo pulchri immutabilitas adstruitur. Fac enim, sive aliud addendo, sive detrahendo, unum ex pulchri elementis mutes, et iam pulchri natura non amplius illis principiis constituitur, ex quibus essentia sua resultat; scilicet pulchri natura perempta, nova quaedam essentia exsurgit.

Denique pulchri natura, in se ac simpliciter inspecta, distracta ab hac vel illa exsistentia, a determinatis conditionibus quantitatis, qualitatis, temporis, loci, etc., revera universalis est, atque « universalitas » fundamentum menti exhibit.

Pulchrum igitur, non secus ac verum et bonum, est necessarium, immutabile et universale: pulchrum semper, ubique, pro omnibus. Inde sequitur conceptum, cognitionem, scientiam quam de pulchro habemus, utpote in natura fundata, seu essentia obiectiva, necessaria immutabili et universalis ipsius pulchri, procul dubio obiectivam, necessariam, immutabilem atque universalem esse dicendam.

G. LEPORE.

.....

Caeco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre labor irritus est.

CYPRIANUS, Epist. IV.

## DANTIS ALLIGHERII INFERI.

### Carmen XIV.

(Ex ineditis JOSEPHI TORALDO).

Movit amor patriae me, et lectas undique [frondes

Rauco pae lacrimis affero sponte viro.  
Tangimus hinc fines ubi tertio ab orbe se-  
[fundus

Scinditur, atque ultrix regnat et aequa  
[Themis.

Mira ego cum referam, decet haec me dicere  
[primum

Nos adisse locum, planta ubi nulla viret.  
Planitem steriles circumdat silva dolentum,

Et circum tristi cingitur illa cavo,  
Ad quam nos iuxta vestigia firma locamus.

Totum erat exurens spissa et arena solum,  
Ut ducis est olim pedibus calcata Catonis.

Ultio caelstis, quam metuenda quibus  
Nosse datum est quod ibi manifesto lumine  
[vidi!

Flentia diversis agmina multa modis  
Umbrarum adspexi, quae omnes sunt corpore  
[nudae.

Pars alia illarum strata iacebat humi,  
Altera densa humeris in se retracta sedebat;

Incenditque vias altera continuo.  
Maior erat quae circum ibat, poenaeque minori

Subiacet ista manus, sed magis ore dolet.  
Igniti et lati flocci sabulo usque cadebant,

Ningit ut Alpinis nullo aquilone iugis.  
Qualis dux Macedo calefacto litore in Indo

Flamas conspexit deiici in agminibus,  
Quare militibus pede tunc extinguere iussit,

Solus namque vapor promptius ipse perit,  
Compressâ pedibus calidâ seiunctus arenâ:

Nos secus aeternus labitur ignis humi,  
Qui sabulum incendens, ut caute excussa fa-

[villa,  
Angores auget congerminatque magis;

Et sine erat requie palmarum motus, ut aestus  
 Usque novos fugeret; dicere et orsus ego:  
 Praeceptor sapiens, qui fortiter omnia vincis  
 Praeter deiectos Numine ab arce poli,  
 Qui dure obstiterant servantes Ostia Ditis,  
 Quis ne hic quem elata spernere fronte faces  
 Adspicio, torvusque movet fera lumina, cuius  
 Nunc animus minime flectitur imbre rubro?  
 Noscens ille ducem de se me querere clamat:  
 Qualis vivus eram, sic nece fractus ego:  
 Delasset fabrum, iaculum ex quo Iupiter ar-  
 [dens  
 Assumens ussit pectoris ima mei:  
 Lasset in Aetnaeo cudentes in monte Cyclopas,  
 Ut Phlegrae immanem fulminat ille manum,  
 Et sua me contra mittat rutilantia tela,  
 Non laetaretur me domuisse satis.  
 Fatus et insolito tunc est sermone magister,  
 Nec memini hunc alias verba ita dura  
 [loqui:  
 Nulla, o Capanea, est animo magis aequa  
 [superbo  
 Poena tuo, indomitus quam tuus iste furor,  
 Tormentum nullum compleret quippe do-  
 [lorem  
 Hanc praeter rabiem, quae vorat usque  
 [iecur.  
 Ad me et conversus, dux ait: Mage fronte  
 [serena,  
 Thebas qui obsedit septimus ille fuit;  
 Contemptor Superum, quos temnere nunc  
 [quoque pergit,  
 Ludibriumque suum debita poena sibi.  
 Post me nunc venias, sabuloque ardente caveto  
 Ponere tu gressus, sed nemus ito prope.  
 Venimus hinc taciti, quo erumpit rivulus extra  
 Silvam, eiusque ruber concutit ossa color.  
 Ut fluvius iuxta Viterbum ab origine bullit,  
 Quem sibi venales distribuere lupae,  
 Ille per arenem haud aliter fluitabat arenam:  
 Saxosae ripae, fundus et asper erat,  
 Quare ibi stare vadum licuit mihi noscere rivi.  
 De rebus visis nigram ubi adire domum  
 Concessum est, cuius cunctis quoque porta  
 [patescit,  
 Nil mage mirandum quam ruber iste latex,

Aëre qui summo labantes destruit ignes.  
 Sic dux; quem oravi praebeat ille cibum,  
 Qui desiderio cordis iam accenderat ima,  
 Quique meis votis fecerat usque satis.  
 Sic mini respondit: Medio iacet insula ponto,  
 Cui nomen Cretae: rege sub hocce fuit.  
 Integra terra nefas, felici hoc tempore nullus  
 Foedavit sanctae iura pudicitiae.  
 Hic mons laetus aquis, et frondibus Ida vo-  
 [catus  
 Cervicem extulerat, nunc loca feta feris,  
 Hunc Rhea selegit Iovis incububla gnati,  
 Et ne vagitu proderet ille locum.  
 Cuncta strepunt circum cunas; grandaevis  
 [ibidem,  
 Aversus Nilo, stat validusque senex,  
 Septijugem Romam qui spectat et in Tibe  
 [rino  
 Amne velut speculo, cuncta futura videt.  
 Aurea cui cervix, argentea pectus et ulnae;  
 Aenea sunt illi cetera pube tenus.  
 Quae remanent signi sunt auro condita ferro,  
 Dextera planta pedis coctilis audit humus.  
 Qua super erigitur melius quam crure sini-  
 [stro,  
 Pars, auro excepto, quaeque foramen ha-  
 [bet,  
 Quo lacrimae erumpunt, imam fodiuntque  
 [cavernam,  
 Quae nigra hac recto tramite valle fluunt,  
 Ex quibus est Acheron, Phlegethon, Stygium-  
 [que fluentum,  
 De rupe in rupem praecipitatur aqua,  
 Quo procul ire nequit, qua oritur Cocytus,  
 [et istum  
 Tu nosces, alibi sed de hoc est fonte loquen-  
 [dum.  
 Atque ego: Si nostro rivo ab orbe scatet,  
 Cur tantum apparuit mihi moestae vallis in  
 [limo?  
 Orbicus est factus, dux ait, iste locus.  
 Quem minime totum absolvit de parte sini-  
 [stra  
 Tartara descendens: si tibi visus heic  
 Nil est mirandum. Sed rursum ego: Fare,  
 [magister,

Quo Lethe fluit, quo Phlegetonis  
 [aqueae,  
 Quas lacrimis factas dicis, Lethenque silescis?  
 Haec tua, doctor ait, cuncta petita placent.  
 Ex aestu rubrae aquae Phegetontem at nosse  
 [valeres  
 Hac procul a fossa postea conspicies  
 Lethen, quo flentes animae sua crimina ter-  
 [gunt.  
 Ab silva – subdit – nunc decet ire procul.  
 Tu me pone subi; callem dabit igne vacan-  
 [tem  
 Altior agger, ubi nulla favilla latet.

Haec autem forma non eadem omnium  
 fuit, sed durior mitiorve pro eorum arbitrio,  
 quorum id potestatis erat, nempe decem legatorum, qui a Senatu ad id mitti-  
 bantur, ut regionis iura remque publicam  
 constituerent. Idque prorsus est, quod apud  
 Tullium:<sup>1</sup> « Bellis confectis decem legatos  
 permitti solet more maiorum ». Certe leg-  
 um per hos legatos provinciis imposita-  
 rum exempla non infrequentia exhibet  
 Livius.<sup>2</sup>

Ex his legibus « provinciale ius » ma-  
 xime constituit. Ad quod tamen conforman-  
 dum non minimum attulerunt edicta Prae-  
 torum; de quibus magistratibus aliisque  
 ad administrandam provinciam missis  
 alias, ne a proposito nostro hodie longius  
 aberremus, sermo erit.

Verum non legibus tantum, sed tributis  
 etiam vectigalibusque obnoxiae fiebant  
 provinciae. De quibus advertendum pri-  
 mum est, etsi nihil saepe inter « tributum »  
 ac « vectigal » apud Latinos intersit, tamen,  
 quo subtilior nota sit, alterum ab altero  
 distingui. Quare Spartanus discriminatim  
 scripsit:<sup>3</sup> « Vectigalia vel tributa, ubi ne-  
 cessitas erat, remisit ». Unde fuit ut « Tri-  
 butarii », sive « Stipendiarii », tota voca-  
 bulorum vi servata, a vectigalibus diversi  
 essent. Fuit autem tributum certa pecunia,  
 quae in capita imperabatur. Ex quo ipso  
 ortum est « capitulationis » vocabulum, a po-  
 sterioris aevi scriptoribus usurpatum. Et  
 de hoc genere loquutus est Tertullianus,  
 quem inquit:<sup>4</sup> « Agni tributo onusti, vi-  
 liores; et hominum capita stipendio censa,  
 ignobiliora: nam hae sunt notae captivitatis ». Capitatio certe fuit illa Iudeorum,  
 a Tito post urbis templique excidium im-  
 perata; per quam factum est, ut didra-  
 chmum (ut est apud Mattheum, XVII)

<sup>1</sup> Phil., XII, 12.

<sup>2</sup> Cfr. ex. gr. Hist., lib. XXXIII, 30.

<sup>3</sup> M. Anton. Philos., 28.

<sup>4</sup> Apol., 13.

quod antea, quum sui iuris essent, in Hierosolymitanum templum singuli conferebant, id iam, armis subacti, in Capitolinae aedis usum Romanis persolverent.<sup>1</sup> Vectigalia porro e solo exigi generatim solebant. Et hīc animadvertere iuvat, ita de subactrum gentium agris fieri censueuisse, ut vel in Romanae reipublicae addicerentur, vel eodem aliqua ex urbe missa colonia induceretur; vel denique ipsi devicto populo relinquenterunt; ac tum demum « vectigales » eos plerumque factos.

Hactenus de Provinciis proprie dictis. Per pauca nunc de « Provinciis Quaestoriis » adiicenda sunt. Erant hae quidem non verae provinciae, sed quaedam in Italia procurationes, quas demandari Quae-storibus mos erat. Ex his una exstitit Ostiensis: quae ab urbe Ostia appellatio-nem sortita, in mari infero tuendo tota erat. Memorat sic eam Cicero:<sup>2</sup> « Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, quum Quaestores sor-tiuntur, etiam acclumari solet, Ostiensem, non tam gratiosam et illustrem, quam ne-gotiosam et molestam ». E quibus intelli-gitur fuisse hanc provinciam ceteris quae-storiis contemptiorem.

Altera fuit Gallica; cuius erat orae cir-cumpadanae advigilare. Eam meminit Suetonius:<sup>3</sup> « Detracta – inquit – Quaestoriis Ostiensi et Gallica provincia, curam aerarii Saturni detulit ».

Tertia porro quae fuerit, indicat Tacitus, quum ita narrat:<sup>4</sup> « Erat iisdem re-gionibus Curtius Lupus Quaestor, cui Pro-vincia vetere ex more Cales evenerat ». Erat igitur Cales sedes Quaestoris, eum Italiae tractum accurantis; quem sane tra-ctum per totum agrum Campanum, Sidicinum, Brundusium usque procurrisse cre-dit Lipsius.

Quartam etiam fuisse, plurium opinio est; verum de ea nullum documentum in promptu habemus.

\* \*

Italicas urbes, quae ob aliquam noxam in populum Romanum admissam suis legibus ac magistratibus privabantur, Praefectique regimini illuc ad ius dicendum ab Urbe missi subicebantur, Praefecturas Latini vocaverunt. Earum formam profert Livius<sup>1</sup> e Capuae exemplo expressam; de qua urbe, quod ad Hannibalem defecisset, hoc enuntiat factum senatus consultum: « Habitari tantum, tamquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse... Praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis mis-suros ». Inficiandum vero non est, duriore prae reliquis Praefecturis conditione Ca-puam fuisse; alia namque aliis concedi, ut aliquam rei publicae effigiem retinerent, testatur his verbis Festus: « Praefecture haec appellantur in Italia, in quibus et ius dicebatur et nundinae agebantur, et erat quaedam earum respublica ». Cognitu vero etiam digna sunt, quae continuo scriptor idem adnectit. Inquit enim: « Quarum (Praefectarum) genera fuere duo: alterum, in quas solebant ire Praefecti decem, populi suffragio creati; et erant haec oppida Capua, Cumae, Casilinum, Vultur-um, Linternum, Puteoli, Acerrae, Sues-sula, Afella, Calatia. Alterum, in quas praetor urbanus quotannis Praefectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiae, Cerae, Venafrum, Alliae, Privernum, Anagnia, Frusino, Reale, Saturnia, Nursia, Arpinum, et alia complura ».

Erant porro praeter has Praefecturas Romanas « Colonicae » quoque Praefectu-iae. Ita nimirum nuncupabantur illi terrae tractus, qui a vicini oppidi finibus adiungi

<sup>1</sup> JOSEPH, *Antiq.*, XVIII, 13.

<sup>2</sup> *Pro Murena*, 8.

<sup>3</sup> *In Claud.*, 24.

<sup>4</sup> *Annal.*, IV.

XXVI, 16.

coloniis solebant: quod quidem fiebat ad augendum vetus coloniae territorium. Ejusmodi vero additamenta dictas praefecturas fuisse ostendunt verba Hygini:<sup>1</sup> « Quibusdam deinde coloniis perticæ fines, hoc est primæ assignationibus aliis limi-tibus, aliis Praefecture continentur ». Quae ideo hoc donatae sunt nomine, quod illuc a sua colonia, perinde atque Roma in Praefecturas Romanas, Praefecti iuri dicundo mitterentur.

(*Ad proximum numerum*).

S. A.

<sup>1</sup> In *Gromat. de limitib.*

## COMMUNIA VITAE

### De officiis<sup>1</sup>

– Sapienter profecto me mones; res vero ita se habet ut, nisi ad unam diem solverim, homo infamis (ignominia notatus; oppres-sus dedecore et infamia; omni dedecore infamis; profligatae famae; nullius existi-mationis ac nominis) fiam. Atqui a digni-tate mea cupio non discedere (honoris mei limites non transire).

– Ipsum caput verae honestatis<sup>1</sup> agitur. – In controversiam sum vocatus summae existimationis (legitimae famae ac iusti honoris). – De meo honore (existimatione; fama) agitur. – Dignitati et honori esse (decus afferre) volo generi meo (nobile volo genus meum; nominis mei famam servare volo). – Nominis meo non iacturam, sed famam conferre ex mea parte volo. – No-minis mei famam non deteriorem, immo illustriorem (clariorum; splendidiorem) facere volo.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

Ab honesti viri dignitate non discedere cupio. – Nolo famam (existimationem) amit-te (perdere). – Nolo famae iacturam fa-cere. – Nolo ceterorum fama me deserat (famam meam detrimentum pati). – Nolo honorem meum labem contrahere (susci-pere; subire). – Nolo ignominiam mihi (nomini meo) imponi. – Nolo infamia fla-grare (laborare). Nolo ipsum me nomini-me nocere. – Nolo ab aliquo acerbo pu-dore suffundi. – Nolo acriore verecundiae stimulo figi (asperiore pudoris aculeo pungii).

Quid igitur in tanto discriminē mihi das consilia? – Quid tibi videtur? – Quid mihi auctor es? – Qui tuus est sensus (quaē tua est opinio; quae sententia; quod iudi-cium)? – Quid mihi suades? – Quid facien-dum existimas?

– Auctor id tibi sum, ut... – Mei con-silia hoc est... – Mea est haec opinio, ut id agas... – Tibi suadeo (hortor) ut id fa-cias... – Ita sentio (ita mihi videtur) ut..

– Si me audis (mea tibi sententia si pro-batur) hoc facies... – Me auctore (de mea sententia; meo consilio) ita te geres... – Si meum consilium habet aliquid ponderis apud te (si alicuius est apud te momenti) hoc ages (suscipies): de debiti solutione cum creditoribus convenias (paciscaris; trans-igas). Scriptum argentarii alicuius, muni-tum chirographo ad pecuniae permutatio-nem (syngraphum curandis monetaria per-mutatione pecuniis), aliquo dato pignore, tibi procures. – Aliquid apud nummulari-um aliquam mensam oppignores (pignori opponas; obliges; aliquid pignoreris; in pignus cedas) indeque syngraphum ad necessariam summam accipiendam ex permutacione publica ad creditorem tuum mittas. – Ex mensarii syngrapho ad cre-ditorem tuum transmisso, ipsi debita a te pecunia numerabitur.

(*Ad proximum numerum*).

## ANTONIUS AIME.

Ab urbe Bogotà, quae caput est illius reipublicae Christophoro Columbo indictae, lamentabilis sane nuntius ad nos pervenit. Antonius Aime, domo Cereseto, in Subalpinis, singularis exempli sacerdos, idemque Salesianorum Inspector, qui in illa republica iamdiu crescent et virtutibus florent, bona adhuc aetate, inter suorum preces et moerorem, flebilis omnibus, diem obiit supremum. Summus Reipublicae magister, moestissimis verbis, eius funus sibi acerbum fuisse, patriae grave, bonis omnibus luctuosum, maiori Salesianorum Rectori communicavit.

Hic natus anno MDCCCLXI, paene puer, domestica matris consuetudine et sanctissima disciplina excultus est, et adulescens tulus inter discipulos Ioannis Bosco, patris Salesianorum legiferi, adlectus, ita latinas litteras atque italicas arripuit, ut vix sexdecim annos natus, ad philosophiae curriculum promoveretur.

Mitissimo ingenio praeditus atque egregia indole, ad caelestia spectans, sacrae militiae nomen dedit, et ita superioribus placuit, ut omnibus suffragiis inter sodales cooptaretur. Sacerdotio auctus, ingenuus, pius atque integer vitae, missus est in Hispaniam, ut domos pueris exercendis tutandisque regeret. Quam exspectationem sui mirum in modum concitaverat, singulari consilio, lenitate, industria sustinuit et supergressus est. Munus enim suum ita gessit, eamque singularem diligentiam et moderationem professus est, ut alter suavissimus Pater vulgo ab omnibus dici mereretur.

Reipublicae tandem Columbiae adsignatus, dies incolatus sui benefactis in illos filios adoptionis collatis, computavit. In obeundo difficulti munere, non viarum asperitate, non adversis quorumdam studiis retardatus, rei christianaे strenue pro-

spexit. Eximia voluntatis significatione, ita breviter eos devinxit, ut ex eo tempore eum omnes semper in oculis ferrent. Namque mortalia cuncta contempnens, generis humilitatem virtute cumulare cognovit. Immortalis parentis effigiem in se exhibere contendens, invictum a cupiditatibus animum praebuit, et nullius infortunium a se alienum putavit. Omnim brevi sibi benevolentiam et admirationem conciliavit, eo potissimum nomine, quod puerorum saluti commodisque aegrotorum humanissime inserviret. Inopiae leprosorum propitius eos identidem invisit, atque ad spectu, alloquo spem reduxit, animumque adauxit.

Ephebos in religionis spem successentes, sanctiore disciplina instituit, et, praeter omnium opinionem, primum illis regionibus, eos ita latinis litteris excoluit, ut semel atque iterum adclamantibus omnibus, egregia voluntatis suae erga Pontificatum Romanum, hanc vel illam sacram actionem publice recitarent.

At ne, sic ferente Dei voluntate, adversa deessent, ubi virtus sua enitesceret, diuturnis morbis afflictabatur. Nunquam vero, posthabita etiam valetudine, ab offici religione declinavit. Graviori demum morbo corruptus, in suorum complexu, quem sanctissimis religionibus saepe rite esset perfunctus, vitae finem placide adspicere meruit.

Quo die publice in templourbis maximo cum laudibus sacra sunt piacularia indicta, quibus summus reipublicae arbiter cum administris interfuit, et ipse Archiepiscopus cum Benedicti XV P. M. Delegato, ut animae candidissimae festinata lux Beatorum adfulgeret, universa civitas sacris successit, et magno funeris apparatu decus addidit et splendorem.

Ave, anima candidissima, et vale in pace!

I. B. F.

## ANNALES

### Washingtonensis conventus de armis ubique deponendis.

Harding, novus Foederatarum Septentrionalis Americae civitatum praeses, quo pax, ab omnibus populis, post cladem ex postremo bello tantam, exoptata, in longum aevum securius servetur, auctor fuit ut singularum civitatum legati Washingtonum convenienter, ibique de armis per orbem omnem deponendis, aut saltem late imminuendis, decernerent. Huiusmodi conventus sessiones superiore mense Novembri initiae sunt, plerisque participantibus nationibus, praeside Hugues, Status prouti vulgo dicitur, minister ad externa negotia in Septentrionali America. Qui quidem propositi summam declarans, eam his finibus constituit: bellicarum novarum navium constructionem esse ab omnibus deponendam, quinimo et earum quae nunc sunt numerum esse minuendum, iuxta tamen navalem cuiusque civitatis potentiam. Haec autem ab hodierno clas-sis pondere pro singulis definitur, indexque erit ut et subsidiaria congruens classis comparari liceat. Hisce consilii accedens, Italorum legatus Schanzer sententiam aperuit terrestribus quoque copiis ea esse adhibenda: ita tantum firmam spem concipiendam esse fore ut certa pax constituatur. Quamquam humanis istis propositis et votis omnes assentiri visi sunt, ne tamen nobis illudamus ut ea, brevi saltem, re perficiantur: nimis enim simultates et odia adhuc vivunt vigentque, nimis alter alterum timet!

\*\*

### Nationum societas.

Nationum societas de Albanenses inter ac Slavos controversiis examen instituit, utramque partem iussit in impositos fines

sese reducere, fidemque dare se externum nullum subsidium accepturam, itemque Nationum ipsi societati mentem et operam integre praestituram ad hodierna discrimina omnino removenda, novaque impedienda.

\*\*

### Varia.

— Italorum mediationi obsequentes, Hungari ex Burgenlandica provincia recesserunt, quam Austriaci occuparunt, praeter Oedenburgi territorium, de quo, uti notum est, populi scitum decernet utri sit attribuendum.

— Carolus, Austrorum quondam Imperator et Hungariae rex, cum Zita uxore Maderam in insulam Anglicam navi in exilium actus est. Hungarorum coetus legibus ferendis si voluntatem suam iterum aperuit habendi regem, hunc tamen negavit Carolum deinceps esse posse. Ad hoc *pragmaticam* illam *sanctionem* abolevit.

— Alexander, Serborum rex, Lutetia Parisiorum, ubi valetudinis causa, quemadmodum inter omnes constat, aliquod iam tempus detinebatur, profectus, Bellogradum feliciter, ovante et gratulante populo, pervenit, ibique regale iusurandum de more praestitit, imperiumque assumpsit.

— Monachii, supremum obiit diem Ludovicus, iam Bavarorum rex, huius nominis tertius, atque solemni pompa in eadem urbe, apud uxoris tumulum, est conditus.

— In Iaponia Takashi Hara, Imperii administer primus, sicarii cuiusdam vi interemptus est.

Kalendas Decembr. MCMXXI.

POPULICOLA.

*In regno male constituto, primum victoriae aerarium exhausti, dein populum depauperant, nec ab hostibus tueruntur; quare victores parum gaudent victoria, hostes iacturas parum sentiunt.*

N. MACHIAVELLI.

## ROMA SACRA

SS. D. N. Benedicti PP. XV allocutio habita in S. Consistorio die XXI mensis Novembris MCMXXI.

In hac quidem renovata laetitia amplissimi conventus, multa sunt magnae Nobis curae, sed illud maxima, quod est de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem societatem plurifariam ordinandis. Etenim nemo est qui ignoret, post recens immane bellum, vel novas natas esse Respublicas, vel Respublicas veteres, provinciis sibi adiunctis, crevisse. Iam vero, ut alia omittamus quae hoc possumus afferre, patet quae privilegia pridem haec Apostolica Sedes, per pactiones sollemnes conventionesque, aliis concesserat, eadem nullo iure posse hasce Respublicas sibi vindicare, quum res inter alios acta neque emolumenitum neque praeiudicium ceteris afferat. Item Civitates nonnullas videmus ex hac tanta conversione rerum funditus novatas exstissem, adeo ut quae nunc est, non illa ipsa possit haberi moralis, ut aiunt, persona, quacum Apostolica Sedes olim convenerat. Ex quo illud natura consequitur, ut etiam pacta et conventa, quae inter Apostolicam Sedem et eas Civitates ante hac intercesserant, vim iam suam omnem amiserint.

Verum si qui Rebuspublicis vel Civitatibus quas diximus praepositi sunt, velint cum Ecclesia pacisci concordiam aliis condicionibus quae mutatis temporibus melius congruant, sciant Apostolicam Sedem – nisi quid aliam ob causam sit impedimento – non recusatram quominus ea de re cum ipsis agat, ut cum aliquot iam agere instituit. Hoc autem vobis, Venerabiles Fratres, denuo confirmamus, in pactiones huiusmodi Nos minime passuros ut quidquam irrepatur quod sit ab Ecclesiae alienum dignitate aut libertate; quam quidem salvam esse et incoludem vehementer interest, hoc maxime tempore, ad ipsam civilis convictus prosperitatem.

Nullus enim negaverit rei civilis religiosa que consensionem ad tranquillitatem publici ordinis, quod bonum est fundamentum

ceterorum, non parum conferre. Etenim pax a populis, tantas in omni genere ruinas persisis, domi forisque nimium hodie desideratur; ac tamen summo cum moerore ac sollicitudine cernimus paci sollemnibus consignatae scriptis nequaquam pacem comitatum esse animorum, nationesque fere omnes, Europaeas praesertim, magnis etiam nunc dilacerari discidiis, hisque adeo acerbis, ut ad ea sananda vehementius in dies requiratur Dei miserentis manus, in qua est *virtus et potentia ... magnitudo et imperium omnium.*<sup>1</sup>

Ad ipsius igitur confugiamus clementiam eamque non solum prece supplici imploremus, sed etiam conciliare studeamus oportet cum sanctius vitam instituendo, tum vero in calamitosos, quorum nunc ubivis maxima, si unquam alias, copia est, beneficentiae officia frequentando. Quoniam autem huius rerum omnium perturbationis, in qua versamur, ea in primis duplex est causa, quod vario ducentur errore mentes, et quod flagrant invidia animi nimis multorum, magnificandus est *dives in misericordia Deus*, qui anno vertente duplicum pariter occasionem obtulerit hominibus ad medendum utrique rei mirifice accommodatam. Sacra sollemnia dicimus anni septingentesimi ex quo et Pater legifer Fratrum Minorum Franciscus Tertiariorum suorum ordinem instituit et Fratrum Praedicatorum legifer item Pater dominicus excessit ad Deum: nam dubitandum non est quin ex sanctissimorum recordatione virorum populus christianus excitari se senserit ad studium cultumque delapsae de caelo tum caritatis tum veritatis. Praeclare enim magnus ille Poëta catholicus – cuius ipsis memoria saecularis per hos menses iure quidem ac digne a nostris celebrata est – duorum Patriarcharum laudes uno complexus praeoncio, « alterum caritatis ardore seraphicum, alterum, sapientia, cherubicae lucis splendorem » appellat. Itaque, Deo adiuvante, instituta in eorum honorem sollemnia tanto piorum studio tantaque frequentia peracta sunt, ut existimare liceat non ad levem quamdam et fugacem inflammationem animorum ea recidisse, sed incrementum inde acceptum fidei mutuique amo-

<sup>1</sup> I Par., XXIX, 12.

ris in multitudine solidum esse atque man- surum.

Quamquam vero his malis, quibus humana societas premitur, medicinam praesentem efficacemque maxime a Deo petimus, non tamen praetermittenda dicimus aut negligenda quaecumque recta ratio ususque rerum suadeat remedia et praesidia. His enim adhibendis sive remediis, sive praesidiis, communi bono consulere proprium est eorum officium qui populos regunt, tametsi eos iisdem unice confidere, Dei ope neglecta, nefas est. Nos igitur perliberenter, Venerabiles Fratres, videmus complurium Civitatum legatos his diebus Washingtonum convenisse ob eam causam ut de immodicis rei militaris sumptibus minuendis inter se consultarent. Quorum consilia optamus cupimusque prosperum successum habeant, eisque ut lumine sapientiae sua Deus adsit, cum optimo quoque suppliciter precamur; neque enim solum id agitur, quod sane magnum est, ut intolerandis iam oneribus populi relevetur, sed etiam, quod est maius, ut bellorum, quoad possit, pericula multo remotiora iam fiant.

## VACUI TEMPORIS HORA

Nescio an Fulconius, socius noster benemerentissimus, qui, paginas ex latinis qui praecesserunt scriptoribus extractas ad me identidem mittit, ut eas in hac rubrica edam: nescio, inquam, an ad epulones mentem convertere voluerit, Nataliciis diebus abundantes, quum loca ex Indicis Maffei historiis deprompta **de Sinarum et laponiorum comedendi ratione** proximis hisce diebus mihi tradidit.

Quidquid fuerit, en quomodo – Maffei illius saltem tempore – Sinenses convivarentur:

« Invitantur multi; propria singulis mensa, aut summum binis; apponitur ex ligno ad instar ebeni splendidissimo, variis sylvestrium maxime rerum figuris, ac

certis linearum ductibus (quo in genere Sinae admodum excellunt) capreolatim ex argento vel auro discurrentibus. Ea pictura nitorque pro mappa est. Serica frontalia dein ad humum usque dependent. Convivae fucatis consident cathedris, præmolli, ut apud nos, culcitra ad gratiorem quietem obductis. Inde elegantissimi primum canistri sertis redimiti onusti baccis promiscue, toto margine disponuntur. Intra id veluti septum, admirabili structura ceterae exsurgunt dapes; quumque sagina omnis generis ferina aequa ac domestica, et piscibus ostreisque, et cunctis ferme illecebris et condimentis abundant, suilla tamen praecipue caro summorum pariter et infimorum expetitur mensis; neque ex alio ullo animali copiosior ganea. Cibos digitis attractare (ut sunt vulgo munditiarum diligentissimi) rusticitatis putant: bracteatis Paxillis vel argenteis aureisve fuscinulis, concisa minutim frusta in os inferunt. Exiguis poculis crebro haustu sedant sitim; et magno cum honore verborum mutuo sibi propinant. Miro interim silentio atque ordine lances ab atriensibus inferuntur; et in singula fercula mensae instrumentum omne mutatur ».

\* \*

Et ad Iaponios transeamus:

« Munditiarum apud eos haud minor quam apud Sinas cura. Paxillis item ipsi duobus inter edendum ita scienter utuntur, uti neque excidat quidquam, nec digitorum tersum opus sit. Caenationem intrant exalceati, ne catastromata calcando coinqinent. Tenuiores, ad mare praesertim, vicitant herbis, oryza, pisce; divites, ad consuetudinem Sinarum, ornant splendide atque apparete convivium. In singula fercula, sine linteis aut mappis, mutatur sua cuique convivae mensa e cedro pinuve, palmi fere altitudine, binum dodrantium quadro, nitidissime, lectissimisque disticta coloribus. Cibi confecti in pyramidem

exstruuntur, auro conspersi, cupressinis ramulis ad gratiam prominentibus; non nunquam etiam rostro pedibusque inauratis aves integrae nobilibus patinis inferuntur. Hospitem et convivam hilare ac libenter accipiunt. Convivandi ac propinandi multas habent leges cum ritibus exquisitis: hasce cuncti diligenter observant. Usum vitis ignorant; oryza expriment vinum; sed ipsi ante omnia deletantur haustibus aquae pene ferventis, insperso pulvere Chia ».

Prosit! Bene quidem illis!

\*\*\*

Sed natalios Domini dies sine ulla peculiari mentione transire sinamus? Absit; liceatque mihi elegantissimum **car-men** desideratissimi magistri nostri Mauri Ricci repetere, quod **de arbore natalitia** (*Cippum Florentini nuncupant*) scripsit. Et Bernerius ignoscat, si eum hodie præterimus.

Est itaque carmen illud prouti sequitur:  
Currite iam, pueri; pueri, iam currite laeti:  
Musco exornatus frondeque Cippus adest.  
Cippus arundineus, ternam cui vertice ab uno

Dant calami faciem tres, totidemque pedes.  
Currite iam pueri; licet hinc pendentia cuique  
Carpere mala, pyris sese onerare licet.  
Hic panis piperatus adest, quo dulcior inter  
Quas mittunt Senae, nulla placenta venit.  
Olli frons ridet pulcris depicta figuris:

Aspice has oculis; at procul esto manus.  
Sunt in mirificis efficta et sacchara formis,  
Quae fungos referunt, folliculosque fabae.  
Nec non castaneae, modicis aut ignibus ustae,  
Aut olla elixae quum bene fervet aqua.  
Accipietis equum mellitum: hinnire volentem  
Eia agite, o pueri, dentibus arripite.

Illum seu potius, reliqua et bellaria cuncta,  
Quot vobis Cippus praemia laeta dedit,  
In pera accipient miseri, quos omnium egenos  
Frigora discruciant, et malesuada fames.  
Sic pia nox vobis, Christus qua nascitur infans,  
His meliora iocis dona beata feret.

### Locosa

Tuccius cum plostello suo ex agro redit. Quum ad urbis portam pervenit, a publicano interrogatur:

— Quid in istis sacculis, qui supra plostello, geris?

Tuccius, ad publicani aures accedens, submissa voce:

— Avenam.

— Ecur tam demisse rem patefacis?

— Ne audiat equus!

Idem ad visitandum telephonorum officinam cum condiscipulis a magistro ducitur. Quum tantam filorum molem admirantur, eorum pondus in summa magister ad cogitandum invitat:

— Et quanto magis — inquit Tuccius — huiusmodi pondus crescat, quum fila elecride onerata fient!

\*\*\*

### Aenigmata

I (vulgo *Rebus*)  
præ præ præ præ præ

#### II.

Nos canimus *septem*; si *primam* forte reponas,  
Dat, quae te et retinet, lector amice, tuos.  
*Altera* si adfuerit, me utetur navita ut alis,  
Me... proh! Roma meo sparsa cruore fuit!  
*Tertia*... Voce mea semper sonuere theatra;  
Fabula quid sine me? Scena locisque silent.  
*Septima*... Non habeas me in naso, lector;

[habentem

Ridiculum facio: lector amice, vale.  
Verum addas animal damnosum denti timen-  
[dum,  
Cui frustra fraudes bella feraeque movent.  
Quod nisi tu apponas, cantantes voce sorores  
Stabimus, et loquimur res sine mente tibi.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *F-astus*; 2) *Te-sta - mentum*.

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## INDEX RERUM VOL. VIII

(AN. VIII — FASC. I-XII)

	PAG.
<b>Alloquia sociis et lectoribus.</b>	
1, 73, 126, 181	
<b>Annales.</b>	
14, 32, 49, 67, 84, 104, 126, 139, 160, 176, 193	
<b>Apologetica.</b>	
De Pontificum Romanorum pietate erga Polonus ( <i>I.B. Francesia</i> ) . . . . .	91
Gregorius VII et lex de coelibatu clericorum ( <i>A. Baćić</i> ) . . . . .	94, 112
<b>Archaeologicae res.</b>	
De Urbis antiquitatibus ad portam Maiores ( <i>Senior</i> ) . . . . .	150, 168
De Romanorum Provinciis, Praefecturis, Municipiis, Coloniis ( <i>S. A.</i> ) . . . . .	189
<b>Ars.</b>	
De reali pulchri existentia ( <i>G. Lepore</i> ) . . . . .	58
Subiectivismi sententiae de reali pulchri existentia ( <i>G. Lepore</i> ) . . . . .	101, 120
De pulchri proprietatibus ( <i>G. Lepore</i> ) . . . . .	186
<b>Carmina.</b>	
Maternus amor ( <i>A. Bartoli</i> ) . . . . .	9
In Robertum Ardigò miserum philosophum, qui, forte perspecta rosa, se fidem amisisse effutivit ( <i>A. Nardis</i> ) . . . . .	24
Dantis Alligherii inferi, Carmen II (Ex ineditis <i>P. I. Bonavia</i> ) . . . . .	44
Dantis Alligherii inferi, Carmen III (Ex ineditis <i>I. Toraldo</i> ) . . . . .	61
Dantis Alligherii inferi, Carmen X (Ex ineditis <i>I. Toraldo</i> ) . . . . .	151
Dantis Aligherii inferi, Carmen XIV (Ex ineditis <i>I. Toraldo</i> ) . . . . .	187
In diem v Maii, qua die an. MDCCXXI obiit Napoleo (Carmen Manzonianum, quod liberiore Musa latine reddidit <i>F. X. Reuss</i> ) . . . . .	79
Templum et Officina (Carmen Hungaricum V. Dalmady, quod latine reddidit <i>F. X. Reuss</i> ) . . . . .	100
In memoriam Ioannis Grace ( <i>C. P.</i> ) . . . . .	101
Asterie ( <i>F. Sofia-Alessio</i> ) . . . . .	116
Benedicto XV septimum emenso Pontificatus anno d. III m. Septembbris MCMXXI ( <i>F. X. Reuss</i> ) . . . . .	127
Danti Alligherio sexto saeculo exeunte ab eius obitu ( <i>A. M. Casoli</i> ) . . . . .	133
<b>Communia vitae.</b>	
Voices animalium ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	13
De officiis ( <i>Forfex</i> ) . . . . .	156, 173, 191
<b>Epistolare commercium.</b>	
De epistolari commercio in <i>Alma Roma</i> inter socios instituendo ( <i>A. Haberl-I. Fornari</i> ) . . . . .	170
<b>Historica.</b>	
Napoleonis Bonaparte commemoratio, saeculari die recurrente, ex quo vita migravit ( <i>Senior</i> ) . . . . .	77
Iaponensium principes Romae ( <i>Senior</i> ) . . . . .	129
Robertus Card. Bellarmino tertio exeunte saeculo ab eius obitu . . . . .	147
(Vid. etiam <i>Apologetica</i> , <i>Pro Iunioribus</i> , <i>Vacui temporis hora</i> ).	
<b>Ius canonicum.</b>	
De Vicario Generali iuxta novum Codicem Iuris Canonici ( <i>I. Fameli</i> ) . . . . .	11
<b>Libri dono accepti</b>	35, 70, 107, 179
<b>Librorum recensio</b>	18, 70
<b>Litterae et Philologia.</b>	
De Encyclopaedia Latina confiencia ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	3
De poëtarum elegiacorum comparationibus ( <i>A. Aureli</i> ):	
Sidera noctis . . . . .	4, 20, 38
Aér et venti . . . . .	56
Nubes . . . . .	76
Arena . . . . .	77
Montes . . . . .	93
Mare . . . . .	93, 111
Flumina . . . . .	164
Imbres . . . . .	185
Grando, Nix, Glacies . . . . .	185
In honorem et memoriam Dantis Alligherii sexto post eius obitum saeculo ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	7, 21, 43, 59, 97

	PAG.
De communi omnibus gentibus eloquio constituendo ( <i>Senior</i> ) . . . . .	19
De studio latinae linguae in nostris scholis instaurando ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	37
De certamine poëtico Hoeufftiano an- ni MCMXX . . . . .	83, 115
De Dantis Alligherii comoedia ( <i>H. Salva- dori</i> ) . . . . .	131
De Alexandro Manzonio eiusque opere, cui titulus « Sponsi » ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	167
(Vid. etiam <i>Pro iunioribus, Vacui temporis hora</i> ). . . . .	
<b>Necrologia.</b>	
Aloisius Bignami, Maior Syracusarum An- tistes. ( <i>I. Immordinius</i> ) . . . . .	31
Carolus Andreas Card. Ferrari ( <i>F.</i> ) . . . . .	48
Maria Gerardi Fornari . . . . .	161
Paulus Albera, Tertius Salesianorum Ma- gister summus ( <i>A. R.</i> ) . . . . .	175
Antonius Aime ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	192
<b>Oeconomicae et Sociales quaestiones.</b>	
De conversione operum ( <i>I. Tasset</i> ) . . . . .	39
Kalendis Maiis adventantibus ( <i>Romanus</i> ) . .	55
Pro Palaestina ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	109
De ebrietate, seu alcoolismo, apud veteres ( <i>Senior</i> ) . . . . .	113
Pro Russia ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	128
De « foeminito » ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	145
De Iudeis novum sibi imperium affectan- tibus (**). . . . .	163, 181
<b>Philosophia ac Theologia.</b>	
De Sancto Ephraem, Doctore Ecclesiae con- stituto ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	74
De titulo « Deipara Θεοτόκος », qui B. Vir- gini Mariae competit ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	74
De plenitudine Gratiae in Christo nato ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	183
<b>Pro iunioribus.</b>	
Sardinia Imperialis ( <i>M. Sale</i> ) . . . . .	29
In latinae linguae aetatibus (Ex scr. I. B. Vico recognovit <i>C. Ronchetti</i> ) . . . . .	47
Ad res gerendas semper temporum occa- siones exspectare intuerique oportet (Ex Nicolao Machiavelli latine redditum <i>H. B.</i> )	63
Iuditha - Historia e sacris litteris deprompta ( <i>F. Millozzius</i> ) . . . . .	103, 122, 137, 158, 174
<b>Roma sacra.</b>	
Ex Congregatione S. Officii . . . . .	15
SS. D. N. Benedicti Pp. XV allocutio ha- bita in S. Consistorio die vii mens. Martii MCMXXI . . . . .	52
Ex Pontificia Commissione ad Codicis I. C. canones authentice interpretandos . . . . .	53
SS. D. N. Benedicti Pp. XV epistola ency- clica ad doctores et alumnos litterarum artiumque optimarum orbis catholici saeculo sexto exeunte ab obitu Dantis Alligherii . . . . .	86
SS. D. N. Benedicti Pp. XV epistola en- cyclica de septingentesimo anno cele- brando ex quo S. Dominicus, Ordinis Praedicatorum Parens, vita migravit .	140
SS. D. N. Benedicti PP. XV allocutio habita in S. Consistorio d. XXI mens. Novemboris MCMXXI . . . . .	194
<b>Scenicae fabulae.</b>	
Leo IV. Actio dramatica ( <i>I. B. Francesia</i> )	
36, 71, 108, 144, 162, 180	
<b>Vacui temporis hora.</b>	
De opportunitate studiorum latinitatis . . . . .	15
Kalendarii curiositates . . . . .	17
De singulari testamento . . . . .	33
Lauretana domus B. Virginis Mariae . . . . .	50
De Lauretani sacelli incendio epigramma .	68
Malum aureum sive medicum . . . . .	68
De singulari quadam Napoleonis intem- perie . . . . .	85
De umbellis . . . . .	105
Saecularia Stephani Antonii Morcelli . . . . .	124
Aestus calores . . . . .	142
Mortuorum cultus . . . . .	177
De Sinarum et Iaponiorum comedendi ratione	195
Carmen de arbore natalitia . . . . .	196
Iosephi Berneri carmina ludicra:	
De Bacchanalium et Quadragesimae tem- pore . . . . .	33
Ovorum lusus . . . . .	51
Felis orbae ludus . . . . .	69
Sacra mensis Maii consuetudo . . . . .	85
Dolium aquae plenum . . . . .	106
Oppidula . . . . .	125
Venatio puerorum arundinibus visco tectis et noctua . . . . .	142
Pueri cereas guttas ex accensis Confratrum facibus in via colligentes . . . . .	178
Iocosa 18, 35, 52, 70, 86, 107, 125, 143, 179, 196	
Aenigmata 18, 35, 52, 70, 86, 107, 125, 143, 179, 196	
<b>Varia.</b>	
De sole ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	23
Insignis scholarum cuiusque professionis concurrus apud Salesianos ( <i>I. B. F.</i> ) .	25
De terra ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	40
De alauda per aërem canente ( <i>I. B. F.</i> ) .	65
De arte photographica ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	80
Regio Magellanica ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	134
Nobilis rerum expositio, quae ad Magella- nicas terras pertinent ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	153, 172